11630. d. 6
4

MORS TRIUMPHANS:

K

ODE LYRICA.

CARMINE ALCAICO.

———Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula. JUV.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. HOR.

LONDINI:

ſtant apud R. DODSLEY, in vico *Pall-mall*; et
apud J. BUCKLAND, in vico *Pater-Noſter-Row.*
MDCCXLIV.

BRITISH MUSEUM

MORS TRIUMPHANS:

O D E.

MORTALIS ævi gaudia lubrica,
Et ſpes futuri temporis irritas,
Letique graſſantis per Orbem
Indomitas, cane, Muſa, vires.

Anni rotantes corripiunt gradum;
Vitæque lampas deficit indies;
Labuntur humana, ut perenni
Fonte fluit properatus amnis.

Quid, Cræſe, gazas ſuſpicis Indicas?
Aurum quid affert nocte noviſſima?
Elate fruſtrà! jam ſubibis
Tartareas ſpoliatus Umbras.

Mundi in remotis finibus æſtuat
Torrentis inſtar Dux Macedonius;
Stupetque Ganges, dum ſuperbo
Fulminat imperio per Indos:

Jam nunc beatum ſe crepat, et fremit,
Fulgens in armis; nunc et Olympios
Inſanus adfectas honores,
Præcipiti rapiende fato!

Quem totus Orbis non caperet, brevi
Vidêre turres hunc Babyloniæ
Dejectum, et ingentes triumphos
Compoſitos humili ſepulchro.

Sic Stella noctu, per liquidum æthera,
Sublimis, ardens, conſpicitur polo,
Flammas coruſcans; mox, repentè
Lapſa, petit peritura terras.

Non Pompa vitam prorogat, aut Opes,
Vel ſceptra Regum: Quid Sapientia
Divina præſtas? O Minervæ
Parce piis, Libitina, alumnis!

Heu ſurda vota! atque invalidæ preces!
Non ipſa Pallas, Phœbeve tu tuos
Servas, inexpletiſve leti
Faucibus abripies maligni.

Cum gente doctâ diſperiit Solon
Adſuetus ævi ſtringere ineptiam;
Dum temperaret lege Athenas,
Atque rudem populum poliret.

Sanctuſque Thales, Pittacus, et Bias
Non amplius jam conſiliis regunt
Orbem; nec indoctas Juventæ
Auriculas monitis fatigant.

Et qui beatam per Lacedæmona
Divisit æquis prædia sortibus,
Legesque sancivit severas,
Occubuit celebris Lycurgus.

Minoa Regem quid referam? sedet,
Ut Fama fert, Judex apud inferos;
Unàque compescunt silentum
Æacus et Rhadamanthus agmen.

Quis te taceret, Plato, apis Attica?
Tu nos ab omni corporeâ lue
Purgare, Divinæque Menti
Fingere consimiles laboras:

Heu!

Heu! dudum abîſti. Et Diſcipulus tuus,
Qui curiosâ ſollicitudine
Arcana Naturæ reſolvit,
Vaſit Ariſtoteles ad Umbras.

Æterna ſed vos Fama vetat mori:
Semper vigetis munere Apollinis,
Et corde doctorum repoſti
Perpetuum renovatis ævum.

Sic orta terris quas Arabes colunt,
Spirant beatum tura ubi per ſolum,
Multo ſuper congeſto odore
Immoritur pretioſa Phœnix.

Mox

Mox (tanta quis miracula non canat?)
Blandâ potentis Phœbi ope, rara avis
De fomite exſultans, renidet,
Arte novâ ſibi jam ſuperſtes.

Orpheique ceſſant artifices manus
Movere dulces ex Citharâ ſonos;
Nec, ſaxa qui ſilvaſque flexit
Carmine, conciliavit Orcum.

Nec Muſa Homeri jam ſonat impias
Pelidis iras, fortem Agamemnona,
Sævumque Tydiden, minaſque
Hectora terrificas vomentem:

Majora quin certamina concitans
Ex arce Olympi Numina devocat,
Mortalibus miſcens; Deûmque
Bella novo meditatur auſu;

Tum clamor ingens exoritur; quatit
Neptunus agros, Juppiter æthera,
Mars frendet, et ſævus remugit
Rex Erebi pavidus tumultu.

Sic egit audaci Phaeton manu
Currus paternos per liquidum polum,
Cœlique cum terris ruentes
Ignifero trepidant ſub axe.

Poſt Hunc profundi carmina Pindari
Efferre nitar? vel Sophoclis graves
Dicam cothurnos? vel furores
Euripidis, Tragicumque faſtum?

Acres Iambos Archilochi dabo
Famæ? vel altos Callimachi mŏdos?
Tuoſve amores, docta Sappho?
Ante Viros memoranda Virgo!

Et Lingua torpet Rhetoris Optimi
Qui voce vicit tela Philippica,
Et Patriæ fractas diſertâ
Vi valuit renovare vires.

Non nunc, ut olim, Roſtra quatit ferox,
Audaxque Linguâ per populum fremit,
Torquetque ſermones, per amplum
Fulgura projiciens Theatrum.

Audire fortes jam videor ſonos,
Dum fervet Orator, Marathonios
Jactans Triumphos, et Parentum
Facta ſequi ſtimulat nepotes:

Tum quemque virtus conſcia, tum pudor
Incendit; iras pectore concipit;
Pugnam repoſcit; ſtringit enſem,
Pro Patriâ haud dubitans perire.

Ceu quando clangunt altiſonæ tubæ,
Martem cientes, erigitur ſono
Accenſus, exultanſque Miles
In medios volat acer hoſtes.

Te, Marce Tulli, par rapit impetus;
Delapſa ſicut montibus arduis,
Atque imbre cœleſti tumeſcens,
Unda ſonans dominatur agris:

Tu verba cùm torrentia volveres,
Dictator ingens Cæſar inhorruit:
Arſitque convictus, retectis
Criminibus, celebris Triumvir;

Nunc Ora pallent dulcia; limpidus
Exaruit Fons; ſæcla per omnia
Muteſcet, Heu! mellitus Auctor
Eloquii Cicero Latini.

Conflevit omnes Roma per Ordines,
Cùm liquit auras vir memorabilis,
Cenſor ſeverus, firmus, inſons,
Egregius, Cato, cultor æqui:

En Civis, omni laude ferendus, et
Integritatis nomine clarior
Quam ſtirpis! En virtutis almæ
Nobilis, et rigidus ſatelles!

Nec te ſilebit Muſa, minor Cato,
Mores avitos acriter æmulans,
Et Patriæ labentis ultrò
Subjiciens humeros ruinæ.

Non grata Libertas penitus perît
Dum tu ſuperſtes, O decus alterum!
Lumen Senatûs, atque Legum
Fervidus aſſiduuſque Vindex!

Pro laude certus perpetuâ mori:
Regem Hic recuſans, et Dominum pati,
Plutonis irrumpit minaci
Fronte ſuperciliоſus Aulam.

At non decebat fortem aliàs Virum,
Et Romæ amantem, jure et amabilem,
Deo vetante, audere vinclis
Corporeis dare se solutum.

Post Hunc superbi funera Cæsaris,
Quonamque fato Tartara contigit,
Canamus; at facto nefando
Vos moniti trepidate Reges!

O cæca fati pectora Principum!
O quanta nox in tempore posttero!
Qui vadit intactus per Hostes,
In mediâ jugulatur Æde!

Non eſt ſecundæ danda fides rei:
Victor triumphans de ſolio ruit,
Minatus expugnare Parthos,
Atque Scythas, animoſus Heros.

Dirus Cometes ſic quatit horridos
Crines, et ægris gentibus imminet,
Spargens venenum; deinde curſum
Præcipitat, relevatque Terras.

Et Tu, perempto Cæſare, qui novam
Extinguis, ultor Brute, Tyrannidem,
Mox exul infelix peribis
Ipſe tuâ violente dextrâ.

Et Sulla vitæ repperit exitum, et
Tu, Magne Pompei: Quid moror amplius?
Auguſtus, Orbe jam ſubacto,
Magnam animam reſupinus egit.

Tales ruinas longa dies trahit,
Trahetque per volventia ſæcula:
De tot Viris, tantiſque, id Unum
Dicere jam ſupereſt; Fuerunt.

Omnes eòdem tendimus, et recens
Exurgit ætas, atque hominum nova
Propago, ſucceſſura noſtros
Mox in agros, et opes relictas.

Quid

Quid ergo noſtrum jure vocabimus?
Et cur inani nomine abutimur?
Nil proprium: traduntur atræ
Omnia depopulanda Morti.

At Nos in arcto pectore pandimus
Mentem capacem, et grandia parvuli
Spiramus, olim tranſituri in
Fabulam, et exiguas favillas.

11:7:49

F I N I S.

Ne pagella prorsùs vacaret, visum est apponere Indi-culum Virorum in hoc Opusculo memoratorum.

ÆACUS,	Pag. 7	HOMERUS,	
ALEXANDER M.	4	LYCURGUS,	
ARCHILOCHUS,	11	MINOS,	
ARISTOTELES,	8	ORPHEUS,	
BIAS,	6	PINDARUS,	1
BRUTUS,	17	PITTACUS,	
CÆSAR, Julius,	16	PLATO,	
CÆSAR, Aug.	18	POMPEIUS M.	1
CALLIMACHUS,	11	RHADAMANTHUS,	
CATO, Censor,	14	SAPPHO,	1
CATO, Uticens,	15	SOLON,	
CICERO,	13	SOPHOCLES,	
CRÆSUS,	4	SULLA,	
DEMOSTHENES,	11	THALES,	
EURIPIDES,	11		